



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Sectio II. Probatur eadem Exemptio ex Pontificum & Imperatorum  
Rescriptis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

declaravit S. Henricus ante sexcentos & plures annos, dum in Diplomate Triburiensi, quod habes sub Num. 20. agens de hoc Monasterio dicit: *Apostolicam Sedem, cui idem locus sacratissimus sub antiquis temporibus Constantini Imperatoris & Helenæ Matris illius addictus esse dignoscitur, fiducialiter appellant.* Et verò, cum certum sit, hoc & superioribus sæculis dictum sacrum locum ita semper exemptum fuisse, & Pontifices omnes, qui de præfata exemptione loquuntur, eam ante multa sæcula factam supponant, nec vlla de contrario extet memoria, iudicium aut monumentum, pro certo habendum est, exemptionem præfati sacri loci, cum ipso initium omnino cepisse, & hoc Abbas Sancti Maximini in antiquissima possessione constitutus semper tuebitur, donec aliud probetur, quod nemo adhuc non modò præstitit, sed nec tentavit quidem.

## SECTIO II.

### *Probatur eadem Exemptio ex Pontificum & Imperatorum Rescriptis.*

**E**xemptionem prædictam Bullis suis plurimi Pontifices ab omni memoria confirmarunt & stabiliuerunt.

Gregorius II. in Bulla, quam vide sub Num. 2. vbi postquam confirmasset liberam potestatem per præcedentia sæcula exercitam in Electione Abbatis, sic alloquitur Abbatem S. Maximini Basinum. *Nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona infra Monasterium, nisi à te, aliove Abbate tuo successore vocatus, quidquam pro suo libitu ordinare, vel temere exercere præsumat. Præterea Apostolica nostra auctoritate omnimodis interdiciamus, ne cui vnquam Ecclesia vel Sedi cum cambio aut aliquo ingenio subdatur, sed tali immunitate & libertate, quali Regalia loca vtuntur, inoffensè & perpetualiter gaudeat.*

Agapetus II. qui vehementer defendit antiquissima Monasterij iura, omniq̃ue modo inhihet & prohibet, ne Ruopertus Archiepiscopus Treuirensis, vel vlli eius Successores, Ecclesiæ Treuirensi conentur subdere Monasterium; id enim vt idem ait Pontifex, iniustè conabatur Ruopertus, sicut & ducentis postea annis, Albero idem conatus est; proinde antiquo Agapeti rescripto, reprimendus ab iniusto conatu, sicut & Antecessor eius litteras Agapeti habes sub Num. 10.

Ioannes XIII. qui in suis Romanis de anno DCCCCLXVII. vbi potestatem Religiosorum circa liberam electionem Abbatis confirmasset, idem statuit quod supra S. Gregorius posuerat, *ne cui vnquam Ecclesia vel Sedi &c. sed tali libertate & immunitate, sicut Prumiense Monasterium inoffensè & perpetualiter fruatur.* Erat autem tunc Prumiensis Monasterij fundatio adhuc in recenti memoria hominum, vt pote facta à Pipino Caroli M. Patre; proinde nemini ignotum erat Prumiam immediatè subesse Regibus & Imperatoribus in Temporalibus, Romano Pontifici in Spiritualibus. Itaque vt omnes præsertim antiquitatum minus scientes, rite intelligerent, quale sit Monasterium S. Maximini, adhibetur exemplum Prumiensis Monasterij, litteras Ioannis XIII. habes sub Num. 14.

Ioannes XV. qui in litteris Romanis indictionis XV. sub Num. 17. eadem verba habet, quæ S. Gregorius & Ioannes XIII. posteriora tamen non nihil sic variat, *Sed tali libertate & immunitate sicut Prumiense Monasterium, ceteraque Regalia loca inoffensè & perpetualiter fruatur.*

S. Leo IX. qui in litteris de Anno MLI. postquam prolixè stabiliuisset iura



& possessiones Monasterij, vult omnia à se præcepta seruari; *iuxta id, quod S. Apostolica Sedi iure subiectum esse debet, & sub mundiburdis Regum & Imperatorum constat.* sub Num. 23.

Innocentius II. qui in Romanis de anno MCXL. confirmaturus priuilegia Maximianorum dicit, *se concedere, vt Ecclesia & Venerabilia loca, maximè quæ ad speciale ius & singularem proprietatem S. R. I. spectant, specialioris prærogatiuæ fortiantur honorem, & Apostolica authoritatis munimine roborentur. Quæ nobrem &c.* Deinceps enim bona S. Maximini recenset, eaque cum Monasterio sub Apostolica Sedis tutela & protectione suscipit & priuilegio communit. Mox addit eadem propè verba, quæ supra Gregorius & Ioannes vterque posuerant, hæc videlicet, *idem locus nulli vnquam sedi vel Ecclesie subdatur, sed sub S. R. Ecclesie iure & Patrocinio & Imperatorum mundiburdis seu tuitione consistens ea libertate & immunitate fruatur, quam idem Monasterium à S. Pontificibus & Imperatoribus nescitur habuisse &c.* Bullam habes sub Nu. 33.

Alij deinde Pontifices, qui in terminis habent hæc verba, *Monasterij S. Maximini Romanæ Ecclesie immediatè subiecti*, vt expressè habent Romanæ litteræ Nicolai V. de anno MCCCCLII. prid. Idib. Octobris, in quibus quartò id habetur, variata nonnihilo phrasi in hæc verba, *Monasterium S. Maximini extra muros Treuirenses ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens.* Item eiusdem, aliæ Romanæ de anno MCCCCLXXIII. in quibus dicitur, *Abbas & Conuentus Monasterij S. Maximini extra muros Treuirenses Romana Ecclesie immediatè subiecti.* Idem habetur in alijs eiusdem de anno MCCCCLXXV. Idem habent Alexandri VI. Romanæ de anno MCCCXCIII. Item eiusdem Romanæ aliæ de anno MDII. Item Pij Quarti Romanæ de anno MDLXIV. & Pij V. de anno MDLXX. Item Leonis X. de anno MDXIV. Item Clementis VIII. de anno MDXV. Item Gregorij XIII. plures Romanæ de anno MDLXXXI, in quibus habetur, *Monasterium S. Maximini Sedi Apostolica immediatè subiectum, prope & extra muros Treuirenses.* Item Romanæ Gregorij XV. de anno MDCXXI. in quibus ait. *Ceterum istud Christianæ pœnitentiæ ac sanctimoniam domiciliū, Sedi Apostolica immediatè subiectum, patrocinio nostro semper tuebimur.* Summa, posterioribus sæculis plurimæ sunt tales litteræ sub hac clausula: *immediatè & sine medio*, in qualibet noui Abbatis electi confirmatione à Pontificibus expeditæ, quarum exemplaria sub N. 58. habes, in quibus præfatum Monasterium semper dicitur immediatè S. Sedi subiectum, atque eiusdem Abbati electo, vt tali, à Pontifice Max. confirmatio conceditur.

Pontificibus Summis magno numero ad stipulantur Imperatores, qui in Rescriptis suis ea de re amplissimè testantur, vt supra copiosè ex eorummet verbis ostensum est.

### SECTIO III.

#### *Certissimis Indicijs & notis eadem exemptio demonstratur.*

**M**anifestè quidem per supraddicta & sufficientissimè probata est omni-modæ Monasterij S. Maximini in Ecclesiasticis exemptio & immediata S. Sedi subiectio; sed & insuper ex vsu ipso perpetuo, & ab omni memoria exercita praxi Ecclesiæ euincitur, per sequentes notas & indicia.

Primò, quia quoties nouū Abbatem in dicto Monasterio eligi contingit secū

dum